



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

6. Quid importent particulæ: ex bonis Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

penfionario extinguitur, & vel hinc rationem beneficii non habet. *Castrop. loc. cit. Gonz. ad reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 5. Paris. de resign. l. 1. q. 10. num. 69. Garc. p. 1. c. 5. n. 3. Suar. de relig. tom. 1. tr. 3. l. 4. c. 25. n. 1. Nihilominus*

2. Respondeo secundò: beneficium, prout in jure Canonico & communiùs accipitur hoc nomen, esse, & dici perpetuum, quia non tantum in se modo jam explicato, sed simul etiam in beneficiato, quantum est ex se, perpetuatur, dum ei non datur ad tempus, sed in titulum perpetuum. *Less. loc. cit. Barb. loc. cit. n. 11. C. Tusch. lit. A. concl. 55. estque veluti matrimonium celebratum inter beneficiatum & Ecclesiam. Sanch. in Decal. l. 7. c. 29. n. 106. Atque ita jam beneficia manualia, etsi prior modo in se perpetua; quia tamen ex se non perpetuantur quoque in beneficiato, à ratione beneficii communitè accepti recedere dicendum erit. Castrop. nu. 7. & apud Gonz. loc. cit. nu. 21. Nav. cons. 27. de prab. De cetero relicta hac communi acceptione beneficii, posse ex speciali jure dari beneficium verum, etiam seculare, neutro modo perpetuum, docet Barb. loc. cit. n. 12. Corrad. in praxi benef. l. 1. c. 6. nu. 285. Possèque beneficium ex institutione sua perpetuum conferri ad tempus, & fieri temporale per Papam, non tamen per alium illo inferiorem, tenet Garc. loc. cit. n. 72. Corrad. loc. cit. n. 288. Et per consuetudinem immemorialem Garc. n. 74. citans Nav. Quin & primitus constitui tale ex fundatione. Garc. num. 72. citans Lap. alleg. 67. Absque tamen eo, quòd quis titulo talis beneficii non perpetui promoveri possit ad ordines; cum titulus ille debeat esse perpetuus. *Trid. sess. 21. c. 2.**

Queres 5. quid importent particula percipiendi fructus?

1. Respondeo primò: importare perceptionem, quà beneficiatus facit fructus suos, seu subicit dominio suo, citra tamen omne dominium bonorum, ex quibus ii proveniunt; cum horum bonorum sit solum administrator, competente illi hac administratione à summo Pontifice; qui solus habet jus plena administrationis illorum bonorum *Lott. cit. q. 3. n. 8.*

2. Respondet secundò idem *Lott. n. 11. & seq.* Longè majus & pinguius esse hoc jus, quàm ut restringi debeat ad simplicem perceptionem fructuum, & minùs aptè beneficiatum cum usufructuario conferri, cum ipsum fundum ecclesiasticum veluti suum, more tamen boni patrisfamilias curare, & administrare possit, faciendo etiam ex terra prædiali vineatoriam juxta *c. ult. de pecul. Cler. quod usufructuario minime permittitur juxta l. si usufructus. ff. de usufructu.* Unde hic Auctor in definitione beneficii ponit: jus administrandi certum fundum ecclesiasticum. De cetero beneficiatum respectu bonorum stabilium, ex quibus percipiuntur fructus, etsi majus jus habeat, quàm purus usufructuarius, utpote qui non tantum (quod solum conceditur usufructuario) capere potest fructus; quatenus eget ad usum quotidianum; sed etiam de eis in suos aliosve usus pios, dum vivit, disponere; in tantum tamen habere jus minus usufructuario, in quantum hic fructus tam in vivis, quàm post mortem relinquere potest, quibus vult; adeò que nec esse merè usufructuarius, nec propriè usufructuarius, tenet *Laym. loc. cit. c. 3. n. 8. Nav. tr. de redit. q. 1. monito 40. n. 12.*

Queres 6. Quid importent particula ex bonis Ecclesie?

Respondeo: indicari primò, quòd bona immobilia aliàque dominia & jura, ex quibus beneficiorum redditus proveniunt, debeant esse extra bona secularia, dicata nimirum cultui divino: rationem adferre videtur *Lott. l. 1. q. 5. n. 43.* Dum ait: jus, in quo ratio beneficii constituitur, spirituale esse, non præcisè ex correceptivitate officii divini, sed ex eo etiam, quòd emergat ex legitima temporalium dedicatio e Deo facta; & vel hinc jam titulo patrimonii promotus ad ordines, beneficiatus non est; cum patrimonium illud sit adhuc, & remaneat in bonis secularibus, spectètque jure hæreditario ad talem clericum, & morte illius non vacet, sed transeat ad hæredes defuncti; unde & indivisum esse potest cum aliis fratribus; etsi juxta *Trid. sess. 21. c. 2.* alienari nequeat, donec clericus adeptus sit beneficium sufficiens ad sustentationem. *Filiuc. tr. 41. de statu cler. c. 1. citans Abb. in c. cum tuis de prab. n. 9. Azor l. 3. c. 4. q. 2.* Secundò, dicta jura & bona pertinere ad particulares quasque Ecclesias, esseque communitatis, eorum tantummodò administratione existente penes Episcopos, aliòsque Ordinarios Ecclesiarum tum secularium, tum regularium Rectores. *Laym. loc. cit. n. 2. ex D. Tho. 2. 2. q. 43. in corp. ar. 8.* Neque enim, dum dicuntur esse res Dei & ecclesie, intelligitur, ut censuisse putatur *Abb. in c. cum secundum de prab. Nav. & alii quidam,* quòd non sint in hominum dominio & commercio, sed quòd Ecclesie his rebus à fidelibus ad cultum Dei ita dotata, ut ad profanos usus amplius non serviant. *Vide Molin. de just. to. 1. D. 142.*

Queres 7. Num has bona debeant esse res certa & stabiles?

Respondeo affirmativè, sunt enim veluti dos assignata beneficii. *Lott. loc. cit. n. 15.* idque satis indicat *Trid. sess. 7. c. 7.* dum determinat, congruam assignatam pro Vicaria perpetua debere fieri super re certa.

Queres 8. Num ergo talis res certa assignata v.g. fundus, debeat abdicari, & transferri in dominium Ecclesie?

Respondeo negativè: sufficit enim rem hypothecatam & affectam onere praestandi tales redditus reali perpetuo, non extinguibili cum persona, sed cum re ipsà ad quemcunque successorum transeunte; Vox siquidem ista assigno regulatur à jure, & intelligitur facta demonstrationis causà, super quibus bonis habenda congrua, seu ex quibus desumendi illi redditus. *Lott. n. 18. & seq. citans Felin. Bart. & c. qui etiam n. 16. ait: ipsum quoque annuum redditum in dotem beneficii assignatum, si ex certo fundo debeat, dici fundum Ecclesiasticum, utpote inhærens fundo, & hinc illius naturam induens; juxta *Tiraq. de jure primogen. q. 49. n. 2.**

Queres 9. Quid importent particula ratione spiritualis officii?

Respondeo; connexionem, quam habere debet jus dictum cum ministerio spirituali; (quæ
V. G.